



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Caput 22. Quomodo ipsam Spiritus Sanctus septem continuis diebus ante  
suum Festum mirandis modis, cum alijs duabus divinis personis, quotidie  
visitaverit, non sinè specialibus gratijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

spexi gloriosos Sanctos, sanctum Dominicum, & sanctum Ignatium, qui me salutantes, & apprecantes mihi felicia Festa, dixerunt, ut eadem precarer ipsorum Filijs, & Fratibus. Habebant illi quandam catenam auream, quæ conjungebat utriusque humerum sub brachio. Interrogavi ipsos, quid per id repræsentaretur. Respondit sanctus Dominicus: Repræsentari unionem & amorem, quo se mutuò diligunt in cælo, quæmq; optant haberi etiam a suis Filijs in terra. Interea venerunt mei quatuor Domini Angeli, dicentes mihi: Veni nobiscum Soror, & videbis locum ac modum, quo fuit peractum hoc mysterium. Derepente me adverti esse in quodam campo, juxta quandam domum, in qua & extra quam erant aliqui homines, & elevans oculos, vidi cælum apertum, ac miliones Angelorum valde lætantium. Eratque etiam ibi pulcherrima Crux, quam omnes adorabant. Vidi præterea subito Majestatem Spiritus sancti, qui totum illud spatium summè replebat. Non vidi ipsum in specie Columbæ, sed alio modo inexplicabili, & statim incepti advertere, quòd Divinus iste Spiritus se quasi moveret, quòdque immineret magna aliqua tempestas. Cœpi angere, & quasi vehementer sudare. Accessit ad me Angelus meus Custos, ut me conforta-

ret, & absterfit celeriter linteo sudorem, quo madebat facies. Vidi me indutam illam pretiosam vestem, de qua jam dixi, & Spiritum Sanctum quasi concutientem alas, spargentemque plurimos pretiosissimos lapides, qui cadebant supra domum, & erant velut igniti. Appropinquavi magis ac vidi illos pretiosos lapides cadentes supra me, fuitque illis repleta vestis. Aliâ vice in eodem mysterio videram depluentes linguas igneas super illam domum, quarum una supra me ceciderat. Post hoc me reperi in meo cubiculo, more solito, ubi adhuc manebant duo Sancti, sanctus Dominicus, ac sanctus Ignatius, cum multis Angelis, & postquam se induissent ijs sacris vestibus, quibus uti solet Sacerdos porrecturus Venerabilem Eucharistiam, Sanctus Dominicus accepit quandam quasi patenam, in qua jacebat Parvulus Infans, non excedens magnitudinem digiti, DEUS, & Homo: post porrectam autem mihi patenam, ut illam unamque pedes Puelli oscularer, sui abrepta in magnam unionem, in qua sensi extraordinarios effectus, sicut dum reficior epulo Eucharistico, præsertim quòd eo die, propter ipsius solennitatem, non habuerim facultatem, ut diceretur Sacrum in Oratorio.

☉†(☉)

## CAPVT XXII.

Quomodo ipsam Spiritus sanctus septem continuis diebus ante suum Festum mirandis modis, cum alijs duabus Divinis Personis, quotidie visitaverit, non sine specialibus gratijs.

**D**ie Sabbathi, octiduo ante Vigiliam Pentecostes, anno 1619. mihi Divina Majestas significavit, velle se mihi præstare aliquam insignem gratiam: adverterem tamen eam mihi constituram peculiari afflictione ac dolore; viderem idcirco, quid de hac re judicarem, ac sentirem, dispiceremque etiam locum, ubi vel-

lem peragi in me ea mysteria, quæ essent duratura septem diebus, incipiendo à sequenti feria secunda, usque ad primum diem Pentecostes. Ego verò dixi: mi DEUS, ac Domine mi, fiat in me tua sanctissima voluntas in omnibus, & per omnia.

§. I.

**D**Einde sequenti Feria secundâ, dum dagerem cum DEO inter primam & se-

hæq;

g

& secundam matutinam, me illuminavit ejusdem Majestas, ut agnoscerem misericordiam, mihi ab illa exhibendam; imprimenda videlicet intrâ meum pectus septem signa, & parvula vulnera, perq; eam impressionem communicandam mihi virtutem septem donorum Spiritus Sancti. Post tres quatuorve horas, vidi in cœlo, terram versûs, comparentes infinitos Angelos DEI, qui cum magno gaudio laudabant & benedicebant suum Creatorem. Inter Cœlum & terram erat lux quædam clarissima, & gratissima, nec non ventus suavis & quasi aureus, quamvis aliquantum perstrepsens. Intrâ istam lucem, & suavem ventum, apparuit quidam Divinus, splendidus, & pulcherrimus Sol, qui ex se emittebat quasi coruscando radios igneos & aureos. Appropinquans mihi iste Divinus Sol (cujus speciem assumpserat sanctissima Persona Spiritus sancti) penetravit meum pectus cupide unius sui radij, afflicta ac vulnerata illâ parte, ita ut vehementem sentirem tam internum quam externum dolorem, deinde idem Divinus Sol mihi appropinquavit, quoadusque illaberetur in meam animam & cor, attemperando hac ratione partem molestiæ ac afflictionis, quâ fueram affecta ex ea impressione, unâque per arctam unionem meæ animæ cum suo DEO. Dum anima esset in hoc raptu, expergefecit illam sanctus ejus Angelus, fuitque per hanc Divinam misericordiam repleta solatio ac illustrata, vehementer autem afflicta & confracta natura, præsertim ob dolorem pedum, ac manuum, & cordis: quia ex illa parva plaga pectoris procedebant quidam radij doloris, & afflictionis, qui excruciabant illas partes.

Subsequente postea Feriâ tertiâ, horâ octavâ matutinâ, agens cum DEO, vidi in cœlo, terram versûs sicut priori vice, infinitos Angelos, laudantes cum magno gaudio Dominum. Et Dominus DEUS Majestatis, Trinus in Personis, ac Unus in Essentia, se subito spectandum præbuit oculis meæ animæ, in hac specie. Sanctissima Persona Patris in forma humana, Persona verò Filij, qualis ordinariè comparet, DEUS & Homo verus. Ex pectore & corde

utriusque personæ prodibat Divina Columna ignea inaurata, vehemens ac resplendens, quæ erat symbolum & figura Spiritus sancti. Hæc Divina Columna coruscabat ac emittebat ex se, cum forti ac suavi strepitu, scintillas illius ignis comburentis. Videns id mea anima, valde timebat, cumque ita timeret, in momento attingit meum pectus una earum Divinarum scintillarum, quæ illud vulneravit cum ingenti dolore, relicto ibi secundo signo, & parvo vulnere, juxta prius, statimque per modum unionis cum Spiritu sancto attemperavit illam molestiam ac dolorem, quam in meo pectore & corde senseram ex ea impressione.

Sequenti Feriâ quartâ manè, dum agerem cum DEO, postquam præcessissent in cœlo eadem admiranda indicia, quæ reliquis vicibus, Angelicæ nempe laudes DEI, & lux clara ac resplendens, strepitus vehemens, & ventus suavis, vidi in specie candidæ & splendidæ nubeculæ sacratissimam Personam Spiritus sancti. Hæc Divina nubes incepit instar pluvie emittere ex se infinitatem granorum, quasi margaritarum, & pretiosorum lapidum, qui diversorum erant colorum, & coruscare atque ejaculari parvos radios ignis, instar linguarum, quorum alij cadebant ad terram, & alij remanebant in aere. Cum mea anima id valde admiraretur, & propterea vehementer esset afflicta, decidit unus ex illis mysticis radijs, & contingens me suâ extremitate in pectore, reliquit ibi tertium signum, seu parvum vulnus, juxta reliqua, ex quo ego tota percipiebam specialissimum dolorem, sed magis in manibus, ac pedibus, & latere. Post hoc autem sensit mea anima blandum & suavem ventulum, qui refrigeravit, atque confortavit illas partes dolore affectas, & sic mansit abrepta in unionem cum DEO, donec ad se rediret.

Feriâ quintâ subsecutâ manè, agente me cum DEO, vidit mea anima sacratissimum Mysterium Beatissimæ Trinitatis in ea specie, in qua aliis, & quod ex pectore atque corde Christi Domini, ut est DEUS, prodiverint quidam veluti radij lucis, ac splendoris, qui erant symbolum & figu-

ra Spiritus sancti: unâ istorum Divinorû radorum cuspidulâ tetigit ille Dominus meum pectus, relinquendo ibi impressum signum quartû juxta cætera, ac efficiendo in me eadem, quæ aliàs, & sui suavi animæ cum DEO unione recreata, desitq; mysterium. Immediatè sequenti Feriâ sextâ, manè agens cum DEO, conspexi Divinum quendam Solem resplendentem, qui apparuit inter cælum & terram cum omnibus & singulis mysterijs, quæ videram primâ vice: tantum jam Sol in medio suæ maximæ lucis & claritatis habebat cruce flavam, & ex eadem mystica cruce prodibant scintillæ cujusdam Divini ignis: atq; dum illum contemplerer cum summo stupore, insilijt in pectus una ex ijs scintillis, in eoque impressit quintum signum juxta reliqua, unde anima mea & corpus notabiliter fuit debilitatum, lenita est tamen, ipsius molestia ac dolor, per specialem unionem Divini illius Spiritus, & meæ animæ.

## §. II.

**P**ostero die Sabbati manè, dum agerem cum DEO, sicut aliàs, essetque afflictum pectus ob illa stigmata, seu vulnuscula, quæ in eo DEUS impresserat, audivi tumultum, ut mihi videbatur, grandem, cujus sonus erat tanquam militum, venientium cum tympanis: quod admirans, vidi advenientes, bipertito ordine, homines admodum graves, fortes, ac potentes, omnes armatos, & gestantes in suis humeris hastas: appropinquabant mihi magis, vidique inter ipsos, & quasi in fine venientem, cum maxima & extraordinaria majestate totam DEI Potentiam, omnem ipsius Magnitudinem, omnem Majestatem, omnemque Sapientiam, Bonitatem, Misericordiam, ac Justitiam, ac totâ ejusdem Infinitam Divinam Essentiam. Quando mea anima vidit rem tam stupendam & immensam, fuit quasi perterrefacta, & magno percussâ timore. Interea verò vidi accedentem ad me totam eam pompam, ac Divinam Majestatem, donec denique quàm suavissimè veniret totus ille Dominus ad meam animam, illamque in-

timè pervaderet, ac totam occuparet, arriperet, & secum uniret tam forti amplexu, ut se ipsam non agnosceret. Dum mea anima esset in hoc Paradiso sui DEI, vidit intrâ se, & in illo Domino, cum quo erat unita, quandam manum aliquantulum relictam, quæ per speciem parvi digiti accessit ad meum pectus, illudque tetigit in medio quinque stigmatum, ex dextera parte, ubi reliquit sextum signum, seu vulnusculum, cum ingenti afflictione meæ animæ, & cōfractione naturæ; paulò verò post suaviter mitigavit dolorem: sed obstupesceram, & cogitabam intrâ me, quid mysterij esset in illo strepitu, & militibus, qui comitabantur Divinum Spiritum, ac DEUM omnipotentem, & quare id fieret. Dum hoc versarem animo, dixit mihi sanctus Angelus: Anima, si Rex quispiam suæ alicui parvæ filiæ traderet maximos thesauros & opes, ut illas possideret, iisque fruere retur, & ipsas conservaret, attribueret illi simul custodes ad eam defendendam, & protegendam, ut nè ullus ipsam auderet molestare, vel ei auferre thesaurum, quem Rex ipsius Pater illi dedisset, ac tradidisset: Similiter tibi magnus DEUS noster voluit præstare gratiam, & postquam tibi communicavit tantos thesauros, ac opes suorum donorum per decursum tuæ vitæ, attribuire modò novos Custodes, nè ullus tibi audeat auferre thesauros, quos ab eo accepisti. Magnum cepit solatium mea anima ex eo dicto sancti Angeli. Sed cum fuisset recordata, quòd postridie in Festo Pentecostes, non possem communicare propter Breve, quo non concedebatur facultas celebrandæ in Oratorio Missæ hoc Festo, dixi illi cum aliquali dolore: Mi Angele, cras perdo sacram Communionem. Benedictus sit DEUS. Nè te id affligat, reposuit Angelus, quia non perdes Dominum, atque de hoc esto certa.

## §. III.

**D**einde sequenti Dominicâ, die Pentecostes manè, agens cum DEO, & circumspectans oculis animæ, vidi adesse Beatos Patriarchas, Sanctum Bernardum, San-

Sanctum Dominicum, Sanctum Franciscum, & Sanctum Ignatium, atque ut primum ipsos consexi, sine ulteriore consideratione, pro meo more tergiversandi, recurri ad DEUM, dicendo: Hos Beatos Sanctos ego volo revereri, ab iisque petere gratiam in caelo, qui est proprius ipsorum locus. Et sicut dixi, ita feci, continuavi que diu hunc ordinarium modum orandi; qua oratione peracta non vidi amplius Sanctos, qui abiverant. Interea me aspexit Sanctus meus Angelus Custos, dixitque mihi graviter & amanter: Anima mea, inurbanè te gessisti erga Patriarchas, qui tibi volebant gratificari: quare hoc fecisti? Nonne putas, fore inurbanitatem, si venientibus magnis Dominis, & gravibus Personis ad invisendum suum aliquem amicum, etsi pauperem ac egenum, iste, quavis bonâ intentione, & existimans se indignum, iret ipsis obviam, & præcipitanter, atque sine ulla reflexione illis diceret: Eant domum, Domini, quia ego veniam illos visum, ac visitatum, id enim magis convenit. Præcipitantia esset ista, & inurbanitas, præstaretque ipsos excipere cum reverentia, humilitate, charitate, exhibitione honoris, & bono modo. Talis fuit tuus, Anima, præsens casus. Auditâ suavi hujusmodi reprehensione mei Angeli, expendi meum defectum, & dixi dolenter: Mi Domine Angele, quam mihi displicet, quod hoc fecerim: eruntne mihi offensi illi sancti Patriarchæ? Nè te affigas, Anima (ajebat Angelus) quia tibi non sunt offensi, & tua humilis intentio te salvat, neque propterea quidquam perdes. Post duas deinde horas, vidi meos Dominos quinque; Angelos, quasi sollicitos de præparatione & adoratione cujusdam admirabilis Sacelli, atque omnes & singulos seorsim tenentes manibus maximam & pretiosissimâ catenam ex purissimo auro, quam aspiciabant cum gaudio, & osculabantur, ac admovebant oculis, id quod diu egerunt. Tum subito sanctus Angelus *Parnymphus* protulit quandam pretiosam pelvim crystallinam, ut mihi videbarut, & omnes injecerunt catenam, sicut illam tenebant, in eam pelvim, ut resonuerit, edideritque no-

tabilem strepitum. Sanctus Angelus *Parnymphus*, postquam fuisset reveritus cæteros, abivit, tulitque dictum cimelium ad Cælum, & posuit ante thronum Divinæ Majestatis; DEUS autem illud benedixit; ac tum sanctus Angelus, qui erat prostratus, se erexit, accepitque suum cimelium, & retulit Angelis suis socijs, quod à me quam reverentissimè susceptum traderunt meo Angelo Custodi, quod ipse, accepit, & servavit intrâ se. Erat notabile lumen & cognitio, quam DEUS dedit meæ animæ de excellentia & potentia illorum Beatorum Spirituum, quorum species & formæ erant elegantissimæ, vestes auro & gemmis ornatissimæ, quisque gestabat in suo collo pretiosissimum torquæ, qui Solis instar refulgebat. Paulò post audiavi admirabiles cantus, & musicam multorum sanctorum Angelorum, laudantiû ac benedicientium Divinum Sacramentû, & continuo vidi multos ex ipsis descendentes, donec eò venirent, ubi ego eram, qui omnes concinnò ordine ingrediebantur in illum locum, seu Sacellum, quod dixi fuisse apparatus à sanctis Angelis. Quatuor sancti Patriarchæ, quos ego nolueram videre, ferebant lumina in suis manibus, & veniebant laudantes alternatim DEUM, unaque cum his sanctis in medio infinitorum Angelorum procedebat Majestas Christi JESU Domini nostri, cum extraordinaria majestate & gravitate, in veste Regia, gestabatque pretiosissimam & mysticam coronam in suo capite, ac nonnihil elevatam. In suis sanctissimis manibus ferebat quasi calicem coopertum ad eum modum, quo fertur à Sacerdotibus, quando in eo est sanctissimum Sacramentum. Intravit illud admirandum Sacellum, posuitque calicem supra quoddam altare ibi erectum, in quo erant duo libri, suo singuli loco. Sancti Patriarchæ stipabant duo latera Domini, cum maxima reverentia. Divina Majestas aspexit fixè, jam unum librum, jam alterum; in uno erant expressa Mysteria Incarnationis, Nativitatis & Præsentationis in Templo, Adorationis Regum, & omnia reliqua ipsius sanctissimæ vitæ; in altero verò omnia.

Mysteria Passionis, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis, ac Mysterium Adventus Spiritus sancti, ubi Dominus aliquantum substitit, & interea Sanctus Angelus meus Custos, me apprehendit, ac texit quodam velo coloris cærulei & aurei, posteaque inclinatam collocavit coram Domino, & illam mysticam catenam, quam servaverat intrâ se, imposuit collo meo triplicatam, ut esset symbolum sanctissimæ Trinitatis. Vertit se ad me Dominus, quæ eram quodammodo afflicta, & vehementer admirabar tantam magnificentiam, communicavitque me spiritualiter, repræsentatione spirituali Divini Sacramenti. Deinde rediit ad altare, & Angelus meus Custos me abduxit, ac reposuit in meo loco. Fuerunt extraordinarij affectus, & motus, quos in mea anima excitavit hæc Divina misericordia: quia dum ista agerentur, vidi intrâ me ipsam totum mysterium Beatissimæ Trinitatis cum magno meo stupore, non enim recordor me vidisse simile mysterium intrâ me. Hic Divinus Dominus Trinus in Personis, Unus in Essentia, ibi mihi ostendit mysticam quandam manû, quasi nonnihil coopertam, quæ erat figura & symbolum sacratissimæ Personæ Spiritus sancti: qui Dominus extremitate digiti illius sacræ manus tetigit meum pectus

in altera parte sinistra, relicto ibidem se primo signo, & vulnuscule, fuitque efformata Crux ex illis septem stigmatibus, quorum quinque erant sita secundum longitudinem, & duo transversim. Miserabile verò corpus remansit valde afflictum, & confractum per multos dies.

Post hoc Majestas Christi JESU Domini nostri abivit, datâ mihi prius suâ benedictione, & illi sancti Patriarchæ me sunt amanter alloquuti, valedicentes mihi, ac dicentes, ut eorum nomine precarer felicia festa ipsorum filijs, quos essem conditura. Postridie mihi dixit sanctus meus Angelus, opus illud misericordiae à Domino in me per impressionem eorum septem stigmatum ideò peractum fuisse, ut in me confirmaretur virtus septem donorum Spiritus sancti, quæ jam mihi communicaverat, ac pro novo augmento, lumine, & cognitione divinarum ipsius & excellentium virtutum, addiditque fore, ut in me experirer veritatem ipsius verborum; & intuens cum gaudio pectus, mihi dixit: Anima mea, inter omnes misericordias & gratias, quas tibi DEUS præstitit, per decursum tuæ vitæ, hæc est admirabilissima meis oculis, de quo summe lætor. Benedictus sit DEUS!

✠✠✠\*✠✠✠

## CAPUT XXIII.

Quomodo illi Spiritus sanctus manifestaverit, se affiltere Summo Pontifici Ecclesiæ, denuoque sibi ipsam desponsaverit, cum novis gratiæ suæ donis.



*Q*uia spiritualis desponsatio habet in hac vita continua incrementa, per nova dona Spiritus sancti, instaurabat subinde Divina Majestas eam, quâ sibi hanc suam Sponsam junxerat, modis perquam miris & mysticis, qualis est sequens.

§. I.

**P**Aucis diebus, inquit, ante Nativitatem Domini (in Decembri anni 1622.)

postquam internè cognovissem, quòd mihi DEUS esset præstiturus aliquam extraordinariam gratiam, circumspexi oculis animæ, & vidi quendam rotundum ac prægrandem circumulum, quem aliquantò altius circumdabat quædam solidissima, & plenissima mysterijs catena, ex purissimo & splendidissimo auro. Intrâ istum circumulum confidebat in sella cum magna majestate summus Pontifex, cujus capiti desuper imminabat sacratissima Persona Spiritus sancti cum summa Majestate, Potentia, & Magnificentiâ.